

erg  
7  
6



(456) 1928 K 944

7, 16

17

# D. SALOMO CONSTANTINVS T I T I V S

ANATOM. ET BOTAN. PROF. PVBL. ORDIN.

COLLEGII MEDICORVM WITTEBERGENSIS

H. T.

D E C A N V S

DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM

PRO

G R A D V D O C T O R I S

A  
CHRISTIANO GOTTFRIED TIETZEN,  
LVSATO

A. D. 16. OCTOBR. 1795.

H. L. Q. C.  
DEFENDENDAM  
INDICIT.

---

Quomodo concretiones bilioſas per alium pellere con-  
ueniat, exemplo illuſtratur.

SECT. I.

47

B. CALVOM. CONSISTENTIA  
TITIUS

SCOTTIAE. BOSTONIENSIS. LIBR. Q. 1771. 1. OCTAVIA.

BECAHUS

CHYADA. DEGL' OROTTI

CHRISTIANO GOTTFRIED THIELEM

DE OTOLO. 1771.

**C**oncretiones biliosas in corpore humano oriri, ibidemque facta  
mortui incisione, praeter spem opinionemque inueniri, ut ra-  
rum non est, sic morbis, magnitudine et copia, vel ductuum bilioso-  
rum obstruzione; ansam praebere, rarius omnino; verum per intesti-  
norum canalem denectae, si tandem per intestinum rectum exirent, id  
certe omnium rarissimum est. Huiusmodi exemplum, quod in praxi  
medica nuper mihi obuenit, meanique maxime attentionem rapuit,  
per occasionem hanc enarrare, et remediorum, quorum in scriptis re-  
centiorum paucim, in hunc finem, mentio facta, efficaciam, iustamque  
eorundem aestimationem contemplari, eo magis e re esse censeo, quod  
vires eorundem, repetitis saepius, atque accurate descriptis obseruationi-  
bus, probandas, et de iis cum quadam certitudine definitendum esse,  
medici tantum non omnes consentient.

Mulier quadraginta fere annos nata, acruminis, curisque do-  
mescis, diu vexata, dura paupertate oppressa, et si misere viuebat,  
haud tamen grauioribus per vitam subiecta morbis fuit. A duobus in-  
de annis, debilitata digestione, sapor fuit amarus, hypochondriorum  
opprelio, corporis imbecillitas, quea toleranter satis ferens, ad Ma-  
ium usque anni praeteriti 1794 vbi dolores paullo vehementiores, hy-  
pochondriacos simulantes, eam aggrediuntur. Dolores item hepatici,  
tensionis sensus inter scapulas, horripilatioque per cutem iunguntur.  
Per resoluentia, leniter evanuantia, rhabarbarina, salina, antipasmo-



dica, lenitur quidem malum, non tollitur. Dolores antea duarum, trium, quatuor horarum, Septembri fine, diebus quinque, sex, pluribus, continui sunt, conatus vomendi, ipsi vomitus, cum alii solutione, frequentiores, quibus remittentibus, tandem icterus sequitur, primo, ut folet, in oculis, mox per totum corpus. Appetitus nunc magis deletur, corporisque vires admodum decrecunt. Hinc cum ipsam haberet cogitatio tum sanitatis, tum periculi imminentis, me accessit. Signa icteri manifesta sunt, cutis rugosa, flava, squalor corporis ex vita misera acta, pruritus in cute molestissimus, aliud dura, alba, virina crocea, dolores abdominales minus fortes, quaedam in regione hepatis attacu sentitur durities. Ego certus quidem, icterus praesens ut sit, de eiusdem ortu, et causis remotioribus incertus. Hepatis durities illa probabilis, vita misera, aeruminosa, sedentaria, de obstructionibus hepatis suspicionem mouent. Confugi ergo primo ad lenia resolutientia, atque aluum et intestinorum canalem depurantia, qua in re ex cremore tartari, salibus mediis, rhabarbaro et roob sambuci, iuncto, haud exiguis vabus fuit. Signis vero flatulentiae post duas septimanas accedentibus, et hypochondriis tumidioribus, extracta amara et lenia antispasmodica, liquorem cornu cerui, acida mineralia dulcificata, cum soluentibus mista, adhibere necesse fuit. Horum inter medicamentorum usum, sub finem Decembri, debilitas oritur insignis, vires per vigilias molestissimas, ciborumque inappetentiam, ita deprimitur, ut aegrota decumbere inciperet, atque febre oppressa, iam cutis fere nigra, icterum nigrum referens, in eadem vesiculae, sero flauescente replete, prodeunt, pruritus dolorisque excitant, demumque compressae serum effundunt, rugasque in cute formant; dolores abdominales, post assutum cibum vel Ieiuiorem, fortiores plerunque euadunt. Lenia sudorifera, in primis sambucea, sudorem cum pruritu cutis mouent. Antiphlogistica, potius copiosior diluens, evacuantibus iuncta, dum excretiones augent, aliquimque liberiorem reddunt, icteri symptomata debilitant, in primis molestum illum cutis pruritum. Impetus febris antea intensiores, sunt remissiores, pulsus contracti magis euoluuntur, vigiliae vires minus depascunt. Hepati emplastrum resolvens ex mercurio, cicuta atque sapone, imponere curauit, quo facta motus in abdome, tensio-

nis

nis sensus, cutis emollitio subsequuntur, sed curatio his minime perficitur. Huic medicaminum ordini, cum aegrota interea temporis, lecto detinetur, antispalmodica nonnunquam interferuntur; donec medio Martii dolores in scrobiculo cordis et regione supraumbilicali, fortissimi redirent, cumque subsidia hactenus adhibita votis haud plane responderent, veram tandem caussam patefecerunt, atque ut de calculis nunc iure cogitarem, me adduxerunt. Mixuram ergo DURANDI, ex aetheris vitriolici drachma una, et oleo terebinthinae drachmis duabus, compositam, ter, quater per diem, guttulis decem ad viginti, praescripti, atque sic per quatuordecim dies continuauit. Propter molimina vomitoritionis denuo accedentia, vomitorium semel, iterum que, quatuor diebus post, dedi, cuius efficacia multum muci atque bilis redditur. Neque alum soluentia neglexi, cum cruditates in tractu intestinorum collectas, spasmo sublatas, educere, in primis studerem. Alius nunc mollior, minori molestia redditur. Aegrotam statim post usum medicamenti Durandini, frustra quidem commonefeci, ut, num per alum calculi biliosi traherentur, attenderet; nunc suspicio milii magis mota, additaque noua commonefactione, perquisuit tandem feces, atque haud exiguum minorum, maiorumque, concretionum copiam, inuenit, in quibus illae vix commode colligi potuerunt, hae, maiores nempe, facilius dignoscabantur. Horum concretorum plura collegit, mihiique attulit. Tactu erant secura et adipe quasi condita, colore variegato, albo et fusco, forma fere triangulari, angulis paulo acutioribus; confracta lamellarum structuram, et intus nucleus, obscurum, flauum repreäsentant, qui figuram crystallorum minorum, albam, referre videbatur; aquae innatarunt, et pondere granorum trium, ad octo usque, fuerunt. Calculis his saepius alio elicitis, eademque aliquoties medicamentis, in primis apozematibus laxantibus, soluta, iterus successive evanuit, viresque aegrotantis ita redierunt, ut initio Aprilis restituta, lectum relinqueret. Morbi itaque impetu quodammodo depulso, remediis leniter alum ducentibus, per aliquot septimanias repetita vice, usus sum, tandem sanitas reddit, ad quam firmamdam victus conueniens atque medicamenta, quae robur addunt, aptissima fuerunt. Neque reticendum hoc loco est, mulierem, postquam coualuerit, similia concreta corporea, minima, molliora, colore



lucide flava, granorum instar, alio reddidisse, quae mollia adhuc, cultro, vt caseus, commode dissecari potuerunt, post siccationem duriora, albidiora facta sunt. Horum haud exigua quantitas fecibus laxius cohaerentibus mista fuit. Imo ventre, in hunc igitur modum, ab impuritatibus purgato, et impedimentis illis, quae effluxu biliis libero obfuerunt, sublati, digestio, et salutaris chymi mistio, ita restituta est, vt nunc mulier bona fruatur valetudine, colorem naturalem receperit, et corpus illius extenuatum, morbo diurniore fractum, nutritur, atque vigeat. Num forte in posterum similia mala, per concrementa ista denuo genita, atque accumulata, insistent, tempus docebit.

Historia tamen aegrotantis mulieris hactenus enarrata, amplam nobis plura, quae remediiorum hic exhibitorum vires spectant, afferendi occasionem darent, quam alii tempori, non adeo remoto, seruo. Namque in praesens iusta laude ornandus

V E R  
CLARISSIMVS, DOCTISSIMVS,  
CHRISTIANVS GOTTFRIED TIETZEN

RINGENHAYNIO - LVSATVS,

MEDICINAE CANDIDATVS

VERE DIGNVS;

qui modestia Sua atque morum probitate, aequa ac doctrina in omnibus medicinae partibus, in primis chemica et pharmaceutica arte insignis est. Qua vero ratione hanc medicae rei cognitionem quæsivit, Sibique pepererit, ex Ipsius vita curriculo, quod Ipse enarravit, optime patebit.

**E**go CHRISTIANVS GOTTFRIED TIETZEN natus sum anno 1770. d.  
30. Septbr. Ringenhaynii, pago in Lusatia superiori, parentibus,  
patre nimirum IOANNE GOTLOB TIETZEN, mercatore, et matre

CHRI-

CHRISTIANA MARGARETHA e gente MVELLERIANA, adhuc, quod summe laetor, viuis. Quibus ipsis a teneris inde vnguiculis de mea salute maxime sollicitis, omnes debeo gratias pro institutione in religione christiana et litterarum disciplinis, in quibus omnibus me probe erudendum curarunt, in schola Fraternitatis Kleinwelkae. Septennio fere ibi praeterlapso, anno 1784 Herkuthiam me contuli, ut a BRATHSIO de me optimo merito, in pharmacia erudirer. Tyrocinio quinque annorum absuluto, in quo praeter artem pharmaceuticam, studium linguarum quoque colui, duce b. MEINELIO et ZIMMERMANNO. Quo maiores in medicina progressus facerem, Gnadenfeldiam petui, ibique a b. WALTER chirurgo exercitatissimo atque doctissimo, totius medicinae adumbrationem accepi. Biennio, et quod excurrit, transacto 1793. Mens. Febr. Dresdam obii, lectionesque medico-chirurgicas, quae ibi proponuntur, frequentauit: Niuirum Viros Experient. in Anatomia et Physiologia, HAENELIVM, in Pathologia et Therapia DEMIANI, in Materia medica TITIVM, cuius favoris et amicitiae documenta nunquam obliuiscar, in Chirurgia, WILDIVM, Chirurgum supremum exercituum Saxonitorum et WEISSIVM, Magistrum scholae obstetriciae Dresdane; in Chirurgia dentium, ANDRE'E, neque minori utilitate adstiti demonstrationibus anatomicis et cadaverum dissectionibus, ab HEDENIO, Theatri anatomici Dresdani Prosectorie, habitis. Anno 1794. Halam profectus sum, et a Magnifice NIEMEYERO in ciuium academicorum numerum receptus sum: Logicam et Metaphysicam tradidit mihi Vir Celeb. MAASIVS, Pathologiam tam generalem, quam specialem et Semioticam SPRENGLIVS, Materiam Chirurgicam et Therapiam REILIVS, qui mihi dux fuit egregius in instituto suo clinico, in curandis aegrotis. Anno 1795.

Vite-



*Vitebergam me conferebam, a Viro Magnifico HOMMELIO, magistratum academicum tunc gerente, ciuium academicorum numero adscripius. Quo facio, Historiam naturalem Excell. TITIVS, Therapiam Exper. D. BOEHMERVS, Chemiam, Botanicam et medicinam foresem D. TITIVS, me docuerunt, tamque insimul iucundam mihi beneficiorum excitarunt recordationem, ut certe numquam ex animo illam sim dimisfur.*

Eodem ergo assensu, quem preterito mense, Examine pro Candidatura apud Ordinum Nostrum peracto, reportauit, Suam etiam dissertationem, proprio Marte elaboratam:

#### De tussi conuulsiva.

Praeside Viro Magnifico, Experientissimo, D. GEORGIO RYDOLPHO BOEHMERO, Therap. Prof. Publ. Ord. Academiae Seniore Grauissimo, publice d. 16. Octobr. defensurum esse, certo confidimus. Quibus votis, quo certius compotes fiamus, TE, RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, VOS, COMITES ILLVSTRISSIMOS, VIROS DE VTRAQUE NOSTRA REPVLICA BENE MERITOS, COMMITTONES GENEROSISSIMOS, PRAENOBILISSLIMOS, OMNES LITERARVM FAVTORES, omni, qua decet, obseruantia et humanitate iunctos cupimus. P. P. Dom. 19. p. Trinit. 1795.

---

Wittenberg, Diss., Ergbd. 7, 1792-96

vol 18

3


f

ULB Halle  
004 335 651



86.

W  
E  
170



# D. SALOMO CONSTANTINVS T I T I V S

ANATOM. ET BOTAN. PROF. PVBL. ORDIN.

COLLEGII MEDICORVM WITTEBERGENSIS

H. T.  
D E C A N V S

DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM

PRO  
GRADV DOCTORIS

CHRISTIANO GOTTFRIED TIETZEN,

LVSATO

A. D. 16. OCTOBR. 1795.

H. L. Q. C.  
DEFENDENDAM  
INDICIT.

Quomodo concretiones biliosas per aluum pellere conueniat, exemplo illustratur.

SECT. I.

47